POEMATA VARIA

IN FVNERE REVERENDI D. IOANNIS HERBESTI, CAnonici & Concionatoris Leopolienſis.

AD ILLVSTRISS: ET REVERENDISS: DOMINVM D. IOANNEM DEMETRIVM SOLIKOWSKI, D. G. ARCHIEPISC: LEOPOLIEN.

LEOPOLI,
Anno Domini M DC I.

Excell.mo et Clariss.mo D.no Sebastiano Petricio Phil. et Medicinae
doctori Ill.mi Cracovien. Episcopi Medico ... ac D.no et Amico ...
[illegible] ... et obser. ...

IOANNI DEMETRIO SOLIKOWSKI, ARCHIEPIS: LEOPOLIEN:

M. IOAN: CZECHOWICZ. Leop.

OCelle Phœbi, corculum Prudentiæ,
Regni micans lux, gemma Præsulum aurea,
Columen Senati, grandis ô suffes Dei,
Quæ mœstitudo ouilis est cor nunc tui,
Postquam appulit vitái ad vltimam orbitam
Herbestus ille, grande delicium tuum.
Musa mea, quósue mœror idem [redacted]. lancinat.
Sed & iuuentæ quam ferula regit mea,
Musa horrida, haud infantiæ memor suæ,
Benignitate ast tuta vestri numinis,
Gestit susurro nuntium atrum squalido
Oggerere, sermones tibi exsensos serens:
Et vberem tantùm profitens dolentiam.
Ergo inclyte Præsul, Gratiis selecte flos,
Musam lugubrem haud tetricâ supercili,
Verùm serenâ quæso nube suspice,

THRENODIA

O Diua, quæ mortalium curas graueis
Luctusq́ acerbos pectoris
Lenire iucundo potes modulamine
Tibi enim citharam dedit Pater.
Cantus lugubreis, anxiamq́ Næniam
Tu trade, tuq́ præcipe.
Nam mi haud facul sacri capitis expromere
Suprema fata, aut consequi
Imâ meâ opellâ, venâ & exili ingenI
Quêis artibus hic petiit polum.
Huic nempe erat mens fixa cœlitum thronis,
Illa ignea mens, quæ ceu lea
Vincliq́ carcerisq́ prorsus asperi
Pertæsa, frendens dentibus
Nisu perenni, se quibus meminit locis
Ortam, remeare annititur;
Ita hæc speculandi alâ celeri frequens viã
Auidam, ad domos Deûm secat:
Et vescitur Diuini amoris optimo
Illic cibo. O si perpetim.
HERBESTVS ergo hàc parte sui cœlestibus
Versatus vsq́ in sedibus.

Huic

Huic vita casta, & innocens, atq; integra,
Manusq; prompta pauperi.
Huic nuda veritas, fidesq; candida,
Nec defuit pectus catum,
Fandiq; larga copia sat, quâ claruit
Dum floridæ facundiæ
Primis rudimentis iuuentutem imbuit,
Non Rhetorum cedens stylo.
Vel ipse quando pulpita per sacra entheum
Sacro ore dogma pangeret,
Luxumúe inertem, opum populatorē ferum,
Sermone duro incesseret,
Plebem monens vt debitam cordis Deo
Sedem exhiberent promptiùs,
Omni carentem labis improbæ notâ
Iussaq; Dei capesserent,
Remitterentq; iam nimiam elegantiam,
Gemmæ & nitores aureos:
Sed squale pœnitentię, & luctu aspero
Et lacrymis fidelibus,
Commissa tergerent, graui & cordis sinus
Imos dolore scinderent.
Sic arte poplum finxit exactissimâ
Vt illum ad astra tolleret.

Haut

Haut degener fratrum bonis virtutibus,
Fratrum, qui erant ſapientiæ
Penu locuples, ordinis ſplendor ſui,
Cleri, venuſti floſculi.
Iam quid labores pro Deo atq; altaribus
Quos pertulit multis locis.
Dicam? marina teſtis eſt STOCOLMIA,
Et Moſchus algidus niue.
Et ripa ſtagnans DANVBI binominis,
Hybernus & BORYSTHENES,
Queìs ille propagauit in locis fidem,
Linguâ diſertà, operâ & bonà.
Tantis bonorum aſt promicans fulgoribus,
Heu flebilis multis cadit.
Sed doctiorum quæ benigna audis Parens,
O patria, Ruſſiæ decus,
Quo perculit nunc vulnere cor luctus tibi?
Quód bruta tellus im tegit.
Qui luſtra plus quám terna te verbo DEI
Pauit, docens viam ad polum.
Haut defatigatus ſenectute aſpera,
Sed mentis animi & robore.
Donec Neceſſitatis illum compulit
Lex aſtricas ire ad domos.

Quâ

Quâ lege cuncti ſumus huc concrediti,
Linquenda ſit terra vt ſtatim.
Nam ſpernit Orci ianua limen, cardines
Ibi faciles Charon mouet.
Stat vrna, nomen omne quæ capax vomit,
Omnes opaca nox manet.
Nexus ſolennitate, vita, aut mancupl.
Nulli data, at precariò.
Tranſenna iure dicitur, nam tranſiens,
Imbellis, vmbræ ſomnium.
Reddenda terræ eſt terra, nec non omnibus
Metenda vita eſt vt ſeges.
Compage ſed tandem hâc ſoluta, ſpiritus
Cœli appetet palatia.
Ergo dolore preſſa corda ſoluite
Clari LEONIS incolæ.
Aſpellet omnem cordis anxitudinem,
Fæcunda Doctorum Parens,
Ocellus ille, Caſtali ſedes chori,
Fons limpidus peritiæ,
Morum magiſtra, Sarmatis terræ iubar.
Virtutum amænus hortulus.
ACADEMIA, hæc mæroris aſpritudine
(Veſtri eſt enim nutritia)

Non

Non perferet vos lancinarier diu,
Aut esse in aritudine.
Lenimen illa dulce vestro porriget
Mox pectori, sultis modò.
At tu Pater mi HERBESTE qui inter ætheris
Arces refulges igneas,
Chorumq; adauges iam piûm, ac consortio
Iam perfrueris qui cœlitum,
Nos desuper oculis benignis aspice,
Deumq; mitiga prece.

EPIGRAMMA.

IN FRAGILITATEM VITÆ HVMANÆ.

Optima Graiorum sententia. Proût foliorum
Sic hominum genus est, debile, inane, fugax.

EPITAPHIVM

HERBESTI hæc sacros cineres, pietatis alumni
Atq; Dei Mystæ continet vrna capax.
Ille Dei tuba voxq; erat, interpresq; sacrorum
Verborum, retegens illa bono eloquio.
Corrector scelerũ, morum quoq; atrocior osor
Vitæ ac virtutis, sed melioris amans.

Huius

Huius busta Patris lacrymis asperge viator,
Et dic hoc saxum molliter ossa premat.

ALIVD.

Occidit HERBESTVS cleri decus atq; cathedræ,
Clerus cum populo, & sacra puluinaria lugent.

M. Ioan: Czechouicz Leop.

EPIGRAMMA.

NON EST MORTVVS PATER HERBESTVS, SED VIVIT.

DVcere luctisonos quid prodest pectore fletus?
HERBESTVS cœli præmia, victor adit,
Sat vixit terris, iam viuere maluit astris,
Non datur in mundo, paxq; domusq; manēs.
Non mors hunc rapuit, nulla illi præda relicta,
Nam viuit felix, iam sine fine diem.
Ergo quid, illiûs plorabo hâc ipse carinam,
Quâ tot eunt aliæ, quâ tot iêre rates.
Terra feras tristes & tristia carceris antra,
Nos capiant superi, læta theatra Poli.

Georgij Podvysocij
alias Muscouij A. B.

ALIVD

ALIVD EIVSDEM.

MORS HOMINIS NON EST DEFLENDA, QVIA FATVM EST INEVITABILE.

Qvid mihi cum lacrymis, etiamſi fluminis inſtar
Exuperent ipſas Thermodoontis aquas?
Haud potero tamen iccircò, licet omnia tentem
Excutere, humanæ conditionis onus.
Eſſe quid hoc dicam? quæ tanta licentia Parcis?
An mala ſunt, finem, hæc non habitura ſuum;
NASCI deinde MORI naturæ eſt regula noſtræ.
Mordax at nimium eſt inter vtrumq́; labor
Si labor, & pariter primordia dulcia, vitæ
Sunt nobis; quid non, mors quoq; dulcis erit?
Turpe rudimentum eſt, poſitis, tranſcendere fines
Et numero ſortem, velle carere ſuam.
Scilicet iſta ſeges noſtri ſolet eſſe laboris,
Omnibus iſta palus, eſt adeunda ſemel.
Quis tam fortis erat, mortem qui ſternere poſſit?
Viribus, arte, opibus, nemo fuit nec erit?
Infantes, pueros, iuueneſq́;, viroſq́;, ſeneſq́;,
Magnos cum paruis, hinc ſua fata vocant,
Fata vocant? ergo per duræ limina mortis
Cogimur ad triſtes ire Charontis aquas.

Hectoras & Cræsos rapiunt sua fata, nec vllus
Naturæ potis est, iura nouare suæ.
Parua hęc sunt? validis pereunt cũ męnibus vrbes,
Quæq; manere diu quis putat, ecce cadunt.
Corporis hâc fragili vinctos compagine quosq;
In cineres artus? quis vetat ire suos?
Vix nati, mortis metam properamus ad vnam,
Hàc homines miseri condititione sati.
Quid nisi bulla vagis quæ nata supernatat vndis?
Quid nisi pernici flamine ventus, homo?
Ecquid multa loquor? Mors vltima linea rerum,
Nilq; vnquam constans, perpetuumq; viget.
Finis inest cunctis finem superesse necesse est
Seriùs, aut citiùs, Mors sua quemq; manet.

EPITAPHIVM. EIVSDEM.

Ille ego qui quondam sacri fastigia honoris
Gestans hic docui iura tenere DEI.
Contegor hoc tumulo, fatis abreptus iniquis.
Effugit, hæc nemo Mors sua quem q; manet.
Terra fui natus, moriens terramq; reuiso,
Terra parens nostra est, chare viator abi.

EPIGRAM-

EPIGRAMMA.

VMBRA MORTVI.

Tollere luctisonos cantus, vestesq; lugubreis,
Quid iuuat? & gemitus fundere? quid lacrymas?
Non morior, liquit licet hos mihi spiritus artus,
Qui fecit vitam, hanc conferet ipse DEVS.
Quin potius CHRISTVM nostros punire reatus
Vt nolit, precibus flectite quæso pijs.

Stanislai Has. Leop.

ALIVD.

MILITIA EST VITA HOMINIS SVPER TERRAM.

Marte ferox miles velut omnē promptus in horā
Prospicit assiduè, cinctus fulgentibus armis.
Ast vbi adesse acrem propius cognouerit hostem,
It celer in durum bellum Martemq; fatigat.
Haud aliter bellum mortalibus imminet ægris,
Dæmone cum tetro, Mundo, & cū Carne rebelli,
Heu certamen atrox: sed atrocius ingruit illud,
Quod cū morte truci est, sternit quę falce cruentâ
Omnia, nec precibus deuincitur: aut probitate;
Ferrea mens olli, pectus riget ipso adamante,

Hinc

Hinc nullos penitùs fletus tractabilis audit.
Hæc regum magnorum ſceptra ligonibus æquat,
Hæc iuuenes, ſeneſq; aufert diſcrimine nullo,
Et nunc ecce metit verum virtutis alumnum,
Et reſecat canum ſacro illi vertice crinem.
Ille Deum quamuis per pulpita dia tonaret,
Illecebras monſtrans ſcelerum & mala toxica mũ-
Illuditq; alacer mortis conamina diræ, (di.
Indomitæ tamen eſt mortis proſtratus ab enſe.

Ioannis Wiczkovvski S. Leop.

ALIVD.

MIHI HODIE TIBI CRAS.

SI tibi longæuæ promittis gaudia vitæ,
Falleris, heu nimium vita hominũ breuis eſt.
Aſpice, heri cuius vitalis ſpiritus artus
Rexit, eos hodie deſerit ille citò.
Te quoq; cras eadem forſan manet hora ſuprema:
Imò hanc, quis nouit, Dij tibi an adijciant?
Quid ſumus o miſeri niſi putris puluis, & vmbra?
Bullaúe quæ vitreis turgida fertur aquis?
Scilicet vt ventus concuſſo ſtipite frangit
Frondes, & difflans omnia ſternit humo.

Sic

Sic mors atra omnes crudeli falce fatigat:
Hæc perimit iuuenes, hæc perimitq; senes.
Perniciq; pede approperat disrumpere cunctis
Vitam, quo minimè reris, at illa venit.
Ergo tuæ nimiùm confidere desine vitæ
O iuuenis, properè hanc sed reparare stude.

Nicolai Koziarovvski S. Leop.

A L I V D.

Qvis gemitus totâ lacrymosus spargitur vrbe?
Vel quæ tam grandis causa doloris adest?
Cur viduæ mæstis opplent singultibus ora?
Patroni celebri destituuntur ope.
Cur inopum obriguit coma, magno tempora fle(tu?
Munificum noscunt occubuisse Patrem.
Pulpita cur luctu nigrescere celsa videntur?
Præconem lugent oppetijsse Dei.
Cur clerus tristis promit de pectore voces?
Mysterij magnum condolet ille virum.
Quare Pierides vlulârunt montibus altis?
Occidit HERBESTVS lausq; decusq; suum.
Cur iuuenes implent funebri carmine templa?
Relligio Herbesti laus pietasq; iubet.

Proruit

Proruit in lacrymas omnis virtutis amator,
Omnibus en grandis causa doloris adest.

Adami Lodzinski Stu. Leop.

EPICEDIVM.

ADfers huc quisquis gressus ad tecta Tonantis,
Quærito quisnam adsit luctus, & exequiæ.
Si defixa animo sedet, hæc sententia, resq;
Condoleas obitum, cum pietate viri,
Nescius ast huius morum si forte fuisti,
Inspicias carmen lumine, certus eris.
Nec tibi cuncta meo sua dicam carmine facta,
Viribus agnosco, haud par onus esse meis,
HERBESTI poterit quis laudes ferre camænâ?
Conspicuus vitâ qui fuit egregiâ.
Non culpanda acies, præclaro in flore iuuentę
Herbesti mentis, quæ bene culta fuit.
Palladis insigni, post extitit, arte decorus:
Et lauri geminâ fronde notatus erat.
Fratribus illustri non cessit laude, nec arte;
Nobilium sobolem, dum artibus imbuerat,
Non fastus ex arte tulit, nec corda superba,
Floruit arte licet, docta Minerua, tua

Ingenuis

Ingenuis clarum studijs, Posnania nouit,
Cuius nutriuit, dogmate progeniem.
Clerus post factus, sacramq; admissus ad aram,
Non minor adfuerat laus, pietasq; viri.
Præbuit hic lumen cæco, vestigia claudo,
Subueniens inopi, munere sæpè suo.
Voce salutiferâ firmabat, ritè fideles:
In noxam lapsis præstò ferebat opem.
Et quæ pestiferæ fidei deceperat error,
Consilio fecit, fidere corda, suo?
Magnus amor Patriç fuerat, populiq; salutis:
Extimuit nunquam funera & ipsa pati.
Defessus curis, & longi temporis vsu
Obtinuit placidum funus, & astra Poli.

Barthol: Waszyczynski S. Leop.

EPITAPHIVM.

Mystes, herba dedit quondam cûi nomina clara,
Hic cubat; huic sydus luceat æthereúm.

ALIVD.

Cessit, vi lassus Parcarum & funere acerbo,
Doctrinâ notus, qui pietate fuit.

En

En parua, Herbesti constringit corpora, tumba:
Illius ast laudes, non capit ipse LEO.

ALIVD.

Hoc lapide Herbesti cineres tumulantur honesti:
Cui virtus donat: relligioq; polum.

Andrææ Pegovvski S. Leop.

ECCLESIA MŒRENS LAMENTATVR.

ERgóne splendebunt iterum subsellia metris?
Herbestumq; etiam mœsta Thalia canet?
Sudasset q; alijs vtinam mea Musa Camænis
Herbestus Musis materiesq; foret.
Qualis erat, cum se SOLIKOVI Præsulis aulæ
Inferret, celebri laudis honore micans.
Qualis erat, sacras superûm prostratus ad aras,
Dum sensit facilem per sua vota DEVM.
Ach quoties mensæ factus conuiua Tonantis,
Sumpserat Angelicas ore tremente dapes.
O quibus exsilui tum mater plena triumphis,
Gaudia lætanti pectore quanta tuli.
Tunc licuit certare nouis Heliconis alumnos
Carminibus, licuit concelebrare virum.

At nunc

At nunc (quę rerum mundi est mutatio) quantos
Ex imo gemitus pectore mœsta traho:
Occidit ille spei magnæ documenta relinquens
Nobis, quæ vigili pectore quisq; gerat.
Occidit ille meæ spes præstans occidit aulæ,
Occidit heu splendor, corruit ecce domus.
Non sic incuruo succisum gramen aratro,
Languescit moriens: nonq; ita bulla perit.
Quám meus hic semper longo dignissimus æuo,
Mortis terribili falce resectus abit.
Hunc ego ceu Christi veræ pietatis alumnum
Sum complexa meo fida magistra sinu.
Quando mulcendo monitis cœlestibus aures,
Monstraret mundo toxica inesse fera.
Huic benè cœlesti flagrabat pectus amore,
Et solidà incensæ relligione preces.
Maxima ei fuerat Christi reuerentia Matris,
Summaq; Reginæ cura placere fuit.
Prô dolet hæc nimium caræ meminisse parenti,
Quæ pietas eius commemorare iubet.
Heu me infœlicem, rerum monimenta mearum,
Et spes conceptas dempsit iniqua dies.
Inuida lux letho Herbestum commisit auaro,
Iam querulam matrem nil nisi flere iuuat.

Eheu Parcarum crudelia tela sororum,
Eheu crudeli stamina rupta manu.
Vos quoq; Pierij dulcissima cura sodales,
Carminis in mœstos soluite membra modos.
Fundat mœstisonas plangēs Polyhymnia voces,
Euterpe cesset ludere dulce melos.
Et tu quæ superûm Præcone beata fuisti,
Clara LEONTOpolis corda dolore seca.
Atq; tuam sortem deplorans astra fatiga,
Et tales mœsto promito ab ore sonos.
O DEVS orbatam matrem Præcone Tonantis,
Ne tamen auxilio destituisse velis.
Da cunctis pacem SOLICOVI cæpta guberna,
Insignes reliquos protege quæso Patres.

Andrææ Strzyzouiensis.

EMBLEMA EIVSDEM.

PATENT DOLI CINERIBVS,

Dvm vani absumunt alimenta relicta Prophetæ,
Pro Baal, ignarum decipiendo Ducem.
Mox cinis aspersus telluri, lustra notauit
Noctis, fallaces prodidit atq; dolos.

Sic

Sic quando in cineres post fata reducimur atros,
Fraus mundi è nostro puluere certa liquet.

AMOR PARIT DOLOREM, EIVSDEM.

SI querulo planctu me quis reuocare valeret,
Nil posset lacrymis dulcius esse mihi;
Nunc seu defletis, seu soluitis ora cachinno,
Quæ sapiunt facite, at mēbra tegentur humo.
Lenitis rigido planctu si forte dolorem
Hinc studij vestri tessera firma placet.

DOLES ET EGO, EIVSDEM.

QVód malesana lues me vobis dempserit vnum,
Immodicis lacrymis tempora vestra tepent;
At si nos eadem crudelia fata tulerunt,
Pectoribus nostris quis rogo sensus erit?

AVREA ÆREIS, EIVSDEM.

RVSSiacæ splendor gentis, lumenque LEOnis,
Siccine ab humana, tendis ad astra, via?
Grande Sacerdotum te gestit cernere lumen,
SOLCOVIÆ gentis gloria summa vocat.

Ruſſia te, ſparſiſq́; vocat de more capillis,
Porrigit eximias, cum prece ſupplice opes.
Supplicat inſigni veneranda corona nitore,
At tu das ſurdo vota preceſq́; Notho.
Scilicet in terris quem non tot dona morantur,
Hunc ſecum ad ſuperos munera plura vocant.

A L I V D.

EX PECCATO MORS.

PRimi noxa patris ſobolem contage peremit,
Damnaq́; terrigenis, protinus illa tulit.
Quantos, immiſit terris Pandora, dolores
Agnouit, qui aurà veſcitur ætherea.
Pixidis ex labris ob culpam, iure ſupremo,
Proſiliit morbus, mille pericla ſimul.
Hinc hominum terror proceſſit, mortis imagò,
Funere quæ certo, carpit ab orbe dies.
Nulla facit gentis, ſexus, diſcrimina, Clotho,
Terrigenas perimit, tempus in omne furens
Flos iuuenum marcet, vi tactus mortis acerbę,
Aufert maturi robur & illa viri.
Grandæuiq́; ſenis vitæ mors ſtamina rumpit,
Effugit horrificam nullus in orbe necem.

En Myſtes ſuperum, mortis ſurreptus ab æſtu,
Splendebit virtus, cuius in axe poli,
Moribus, ingenio, fuerat pietate celebris:
Dotibus haud diſpar, vixit & ille ſuis.
Hic ſortis ſoluens humanæ triſtia fata,
E vitâ ceſſit. Molliter ergo cubet.

Valentini Bargelij

ÆNIGMA EIVSDEM.

Est mihi nulla caro, non penna, nec arma ſonora,
Confringo nullo, mille, labore, viros.
Veloci ſupero curſu Boreamq́, Nothumq́,
Me nihil omnipatens, firmius orbis habet.
Triſtes me plebis celebrant, Regumq́ Cateruæ
Imperium noſcunt, bruta pecuſq́ meum.
Innumeram prolem tetro demitto Charonti,
Educo ad celſum pignora rara DEVM.

ALIVD EIVSDEM.

Non creor à ſuperis, hominũ nec gignor ab vllo:
Climata cuncta ſoli, territo fronte meâ.
Terrigenûm curas, duros diſpenſo labore:
Iura nihil curo: ius ego ſummum habeo.

Inuetitum

Inuetitum nixus me primus viuere fecit,
Nec moriar Phœbus dum reget altus equos.

ALIVD EIVSDEM.

Nunquam victa mihi sunt dulci lumina somno,
Inuigilare horis, cum soleam assiduè.
Ignauoq; premo, languentia corpora somno
Grana soporiferum, haud tanta papauer habet.

EPIGRAMMA.

Non iacet, abstrusis prænuncia fama cauernis
Sed volitans spargit cuncta per ora virûm.
Nunc quoq; Sarmatiæ fines oppleuit, & vrbes;
Impleuit pelagus; per iuga voce sonat.
Præstantem Mystem, nulli pietate secundum
Herbestum, lætos claudere fine dies.
Qui licet haud adeò Maiorum nomine clarus:
Sed fuerat factis clarior ipse, suis,
Hostes pestiferos fidei insectatus acerbè est,
Veræ magnus erat relligionis apex.
Vir pius, atq; Sophus, celebri probitate decorus,
Vixit iustitiâ, moribus, ingenio,
Quem mors sæua nimis rapuit mortalibus ægris,
Ignotasq; ferox fecit adire vias,

Pectora

Pectora nec nimium capiant ex morte dolorem,
Nam lucet probitas, cum pietate sibi.

Stanislai Cassicij.

ALIVD EIVSDEM.

VT caret ignifero sol nunquam lucidus ortu,
Sic virtus meritis non caret ipsa suis.
Et prius in stygias descendent astra paludes,
Destituentq; suos numina sancta locos.
Quám tua de nostro labetur pectore virtus,
Et taceam laudes claraq; facta tua.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

Continet hic tumulus Ioannis corpora Mystæ,
Qui semper populis dogmata vera dabat.

ÆNIGMA EIVSDEM.

Nil vnquam grauius patulus me mūdus habebat,
Nam res humanas vt lubet expedio.
Commoda nulla fero terris sed mille pericla,
Infernum recreo munere sæpè meo.
Innumeros terris superi immisere dolores,
Sed longè supero quæq; sub axe mala.

EPI-

INEXORABILE FATVM.

Qvid iuuat aſperſam tellurem cernere fletu?
Vel quid ſingultus elicuiſſe feros?
Non mihi iam veſtris reddetur fletibus aura
Vitæ, non iterum ſpiritus oſſa reget.
Cuius falce ferâ diſrumpit ſtamina Clotho,
A ſtygijs vndis non reuocabit iter.
Non genus, atq; decus generis virtutibus amplũ,
Pectore nec redimunt vota reſumpta pio.
Nullum reſtituit probitas vitalibus auris,
Nec primam vitam docta Minerua refert.
Non valet Hyppolito precibus Diana pudico
Reddere ſæcla ſuis. Cerberus obſtat atrox.
Quiſq; cupit veſtrum vitæ ſua vincere fata;
Vt modò quæ fuerat vitrea bulla perit.

Gregorij Præuorſcenſis.

ALIVD EIVSDEM.

MORS NESCIA VINCI.

Qvo ruis ô Lacheſis? Quo ſe tua proripit ira?
Cur nullis hominum flecteris obſequijs?

Heu

Heu miſerata ſenem minus: o fera dente maligno
Mors lacerare auſa es, tamq́ necare virum.
Non ætatis honos, non te mouet ardua cura
Muſarum illius, relligioq́ DEI.
Parcere quód cuiquam dubites tu Parca vocaris,
Nec mirum quoniam falce furente ruis.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

Continet vrna virum ſanctæ virtutis alumnum,
Spiritus è pulchro corpore ad aſtra abijt.
Hyppolitum vitâ ſuperat dum vixit honeſtè,
Nunc tenet ætheree regia ſceptra domus.
Gloria clara mori quæ neſcit ad aſtra relapſa eſt
Illius, atq́ ſuo lumine luſtrat humum.

ANNI TEMPVS QVO MORITVR.

TrIſtItIa en noſtros InVertIt perDIta VVLtVs
HerbeſtI eXeqVIIs qVòD perIere DIes.

Valentini. Bargelij.

TVMVLVS HONORIVS.

IOANNES HERBESTVS.

MVLTORVM PRO CHRISTI SPONSA ECCLESIA LABORVM ET CONTRA HÆRESES PROPVGATIONVM SVPERSTES, FIDEI AC RELIGIONIS MVLTIS IN LOCIS TAM APVD EXTEROS QVAM DOMI PROPAGATOR STRENVVS, SERENISS: IOANNI III. SVECORVM ET VANDALOR: &c. SIGISMVNDO III. POLONIÆ ET SVECIAE I. REGIBVS, MVLTIS NOMINIBVS AMABILIS. IAZLOVECIANÆ CONTRA SCITHAS EXPEDITIONIS COMES, APVD LEOPOLIEN: ANNIS FERE DVODEVIGINTI ECCLESIASTES ET CANONICVS, PAVPERVM AMATOR SEDVLVS, IN COARGVENDO LIBER, VERITATIS ASSECLA FIDVS, VITA ET MORIBVS INCVLPABILIS. AD. XVI. KAL: APR: ANNO DOM. M DC I. ÆTATIS VERO SVÆ ANNO LX. MORTVVS. HIC SEPELITVR.